

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

M.A. Level Medieval Latin Examination

8 September 1999

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. **Wisdom (Vulgate)**

Omnis sapientia a Deo Domino est,
et cum illo fuit semper et est ante aevum.

Harenam maris et pluviae guttas
et dies saeculi quis dinumeravit?

Altitudinem caeli et latitudinem terrae
et profundum abyssi quis mensus est?

Sapientiam Dei praecedentem omnia quis investigavit?
Prior omnium creata est sapientia et intellectus prudentiae ab aevo.

Fons sapientiae verbum Dei in excelsis
et ingressus illius mandata aeterna.

Radix sapientiae cui revelata est,
et astutias illius quis agnovit?

Disciplina sapientiae cui revelata est et manifestata,
et multiplicationem ingressus illius quis intellexit?

Unus est Altissimus creator omnipotens,
rex potens et metuendus nimis,
sedens super thronum illius et dominans Deus.

Ipse creavit illam spiritu sancto et vidit et dinumeravit et mensus est,
et effudit illam super omnia opera sua
et super omnem carnem secundum datum suum,
et praebuit illam diligentibus se.

Timor Domini gloria et gloriatio,
et laetitia et corona exultationis.

2. Some useful precepts (Petrus Alfonsi)

Vnus ex discipulis interrogavit magistrum suum et dixit: Cum septem sint artes et septem probitates et septem industrie, uellem ut hec michi sicut se habent enumerares. Magister: Enumerabo. He sunt artes: dialectica, arithmeticā, geometria, phisica, musica, astronomia. De septima uero diuerse plurimorum sunt sentencie quenam sit. Philosophi qui prophecias non sectantur, aiunt nigromanciam esse septimam. Aliqui ex illis, videlicet qui propheciis et philosophie credunt, uolunt esse scienciam que res naturales uel elementa mundana precellit. Quidam qui philosophie non student, grammaticam esse affirmant. -- Industrie vero he sunt: Equitare, natare, sagittare, cestibus certare, aucupare, schachis ludere, versificari. -- Probitates sunt: Ne sit uorax, potator, luxuriosus, violentus, mendax, auarus et de mala conuersacione. -- Discipulus: Hoc tempore puto neminem huiusmodi esse. Accusatus quidam ductus est ante regem iudicem negansque crimen impositum tandem conuincitur. Cui rex: Dupliciter punieris: semel pro crimine commisso, secundo pro commisso negato.

3. The capture of Helen of Troy and its consequences (Dictys Cretensis)

Per idem tempus Alexander Phrygius, Priami filius, Aenea aliisque ex consanguinitate comitibus, Spartae in domum Menelai hospitio receptus, indignissimum facinus perpetraverat. Is namque, ubi animadvertis regem abesse, quod erat Helena praeter ceteras Graeciae feminas miranda specie, amore eius captus ipsamque et multas opes domo eius aufert, Aethram etiam et Clymenam, Menelai adfines, quae ob necessitudinem cum Helena agebant. Postquam Cretam nuntius venit et cuncta, quae ab Alexandro adversum domum Menelai commissa erant, aperuit, per omnem insulam, sicut in tali re fieri amat, fama in maius divulgatur: expugnatam quippe domum regis eversumque regnum et alia in talem modum singuli disserebant.

Quis cognitis Menelaus, etsi abstractio coniugis animum permoverat, multo amplius tamen ob iniuriam adfinium, quas supra memoravimus, consternabatur. At ubi animadvertis Palamedes regem ira atque indignatione stupefactum consilio excidisse, ipse naves parat atque omni instrumento compositas terrae adplicat.

4. The young Thomas Becket almost drowns (Thomas of Froidmont)

Itaque ad prenominatum divitem a scolis rediens et seculi sequens curiositates, nunc venatu, nunc avium captura, quibus maxime pascebatur animus iuvenilis, pro libitu nunc domi in civitate, nunc rure cum divite morabatur. Factumque est, ut in hunc modum dimissus sibi, scolaribus studiis proponeret renuntiare.

Die vero quadam accidit, ut ad ripas eunte Thoma simul cum divite motam de flumine anatem accipiter insequeretur, secutusque divertentem in flumine cum ipsa pariter mergeretur. Quod videns adolescens Thomas, miseratus accipitrem iam peritum, equo desiliit seque in gurgitem, ut avem eriperet, precipitavit. Sed priusquam avem contingeret, raptus intra alveum fluminis, et nunc mersus sub aquis, nunc undarum impellente vi levatus, periclitari cepit et penitus periisse putabatur ab intuentibus, dum nullus adesse potuit, qui manum porrigeret pereunti. Denique ad molendinum, quod tunc forte molebat, aque tractu perlatus, ubi primo aque exitibus propinquavit, stetit rota nec se movit semel, quoisque vivus quidem sed vehementer afflictus adolescens extractus est.